



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 5. De Fretis Borealibus per Anglos nuper detectis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 5. De Fretis Borealibus per Anglos nuper detectis.

ANGLI dum iter ad Sinas inuestigant per Borealem partem Hemisphaerij noui, varia detexere freta, varijsque Sinus. Inter Argonautas illos minus felix fuit Martinus de *Forbichers*, quem nos Galli de *Forbicher* dicimus: Is Sinum exiguum in Meta incognita (sive ea sit pars Groenlandiae, sive non) detexit, quem putabat esse Fretum, & re infectâ redire coactus est nullo alio operâ prelio, nisi quod huic nomen suum dedit *le desfrois de FORBICHER*.

Felicitas fuit *Dauisius* quidam; grandius enim inuenit Fretum in Tabulis, vulgo *le desfroit de DAVIS*, anno Christi 1585. & obstinatè duobus annis sequentibus eius exitum attingere contendit; verum maiori labore, quam ut in eo diutiùs perdurare posset.

Dauisij cœptis postea institit *Baffinius* quidam Nauarchus, vnde Sinui nomen *la Baye de BAFFINS*, quem à Freto *Dauisij* dilatari comperit. Sed re tum desperatâ sub finem saeculi præcedentis *Hudsonius* eorum cœptis institit: & quoniam *Dauisius*, & *Baffinius* peccare visi erant, quod nimis in Septentrionem nauigationes suas direxissent, ille contrâ in Meridiem cursum suum inflexit, primusque nauigauit in Fretu, quod de suo nomine *Hydson* appellauit; in quo cum hyemasset, multis difficultatibus, & ærumnis variis nominis gloriam redemit.

Postea anno Domini 1631. *Jamesius* Nauarchus quidam, & dux *Thomas Jacobus Anglus* Sinum *JAMES* detexere cum insulis aliquot. In quem Sinum progressus postmodum *Thomas Buttonius* portum inuenit percommode quem *Nelson* dixit, & recessum eius Sinus maximè Occidentalem de suo nomine notauit in Tabulis vulgo *la Baye de Buttons*. Sperabat idem *Thomas* illac certissimum ad Sinas iter, ex Freti reciproci naturâ, sed demum naturæ miraculis contentus quæ in eo mari deprehenderat, Britannicam explorationem absolvit relictis oræ Australi, & Boreali *Noe Vallie Meridionalis & Septentrionalis* nominibus.

Et de Maribus haetenus, quorum diuisione accuratâ primam hanc operis nostri partem claudere voluimus, ut postmodum ad Terrarum diuisionem magis paratum afferret animum Geographiæ candidatus.